

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

1 Deus creauit de terra hominem , & secundūm imaginem suam fecit illum.



Rosequitur cōptam de operibus Dei narrationem, diu persistens in explicatione eorum quae Deus homini præsttit, ex quibus in reuerentiam Dei ipsum deducere studet. Primum ergo dicit Deum creasse, hoc est, formasse hominem de terra, secundūm corpus scilicet, eundemque fecisse secundūm imaginem suam, secundūm animam scilicet, quae Dei refert imaginem propter rationalem virtutem, qua præ alijs animalibus prædicta est, & eiusdem immortalitatem ac spiritalem naturam. Simile est quod sequitur:

2 Et iterum conuertit illum in ipsam , & secundūm se vestiuit illum virtute.

Secundūm corpus enim cōuertit eum iterum in ipsam terram ex qua sumptus erat, vt qui contra suam dignitatem terrena præelegerat diuinis, rursum in terram conuerteretur ex qua formatus erat, Iuxta animam verò Deus ad similitudinem sui vestiuit illum virtute & fortitudine, vt sicut de eo dicitur: Confessionem & decorum induisti. & Do-
minus regnauit, decoré indutus est, indutus est Dominus fortitudinem;
quia scilicet fortitudine & decore ornatus est, & veluti vndique circum-
amictus: ita & homo ad similitudinem Dei, suo modo fortitudine in-
dutus est & ornatus, quia præditus acumine intellectus, quo &c omnia
penetrare potest, & multa potenter præstare. Nomen enim, virtute, non
potest hic accipi vt vitijs opponatur, sed pro fortitudine, cūm Græcis
fit ιαυτός. Sunt qui hic intelligunt significari Adamum fuisse conditum
in perfecto robore corporali, item in perfecta scientia & virtute secun-
dūm animam: sed magis est verisimile Sapientem loqui de his quae in
Adam toti humanae naturæ collata sunt. Pro, secundūm se, Græca ha-
bent pluraliter κατά ιαυτός, secundūm seipso, vt ad homines referatur.
nam pluraliter hic habent; Induit illos secundūm seipso fortitudinem,
vt significetur hominibus datam fortitudinem, secundūm quod eorum
naturæ conueniebat. Alia enim animalia etiam habent singula vires
suas, homo verò singulari excellentiisque virtute donatus fuit. Sed inter-
pres legit κατά ιαυτός, secundūm se, vt ad Deum referatur, atque ea lectio
magis placet. quanquam nostra lectio etiam alterum sensum admittere
potest.

Psal. 103.
Psal. 92.

3 Numerum dierum & tempus dedit illi , & dedit illi potestatem
eorum quae sunt super terram.

Rursum

CORN. IANSENII COMMENTARIA

Rursum coniunguntur duo, quorum vnum homini competit ratione partis inferioris, corporis scilicet, alterum ratione partis excellenteris, nempe animæ. Quoniam, inquit, ex terra hominem fecit, & in terram eum rursum cōuerti voluit, ideo dedit ei certum numerum diērum, & certum tempus vitæ, certò illi præscribens eum moriturum, cūm **Genef. 3.** dixit: Terra es, & in terram reuerteris; & certum etiam vitæ tempus etiam usque ad diērum numerum apud sē vnicuiq; præfiniens, sed quod incertum esse voluit omnibus ut semper vigilarent. Rursum tamē quia hominem secundūm similitudinem suam formauit, atque virtute singulari ornare voluit, dedit ei potestatem eorū quæ sunt super terram, sicut ipse potestatem habet generalem omnium quæ in cœlo sunt & in terra.

4. Posuit illius terrorem super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium.

Non solum dedit ei potestatem eorum quæ sunt super terram, dicens: **Genef. 1.** Dominmini piscibus maris & volatilibus cœli, & vniuersis animatis quæ sunt super terram; sed etiam effectit ut omnia animantia illum timerent tanquam suum præsidentem & superiorem: atque ita factum est, ut ipse dominatus sit omnium bestiarum terræ & volatilium cœli. Timor quidē iste hominis & dominium super animalia omnia perfectè competebat homini in prima rerum institutione, verū per peccatum hæc ex parte homini perierunt, Deo ita peccatum hominis iustè puniente, ut qui Deo debitam obedientiam negauit, sentiret etiam animalia pleraque sibi repugnare. Nō tamen sic perierunt hæc homini, quin suo iure possit & valeat quævis animalia sibi subjcere, & velut fugitiuos seruos ad debitam seruitutem cogere, & eos qui per mansuetudinem adduci non possunt, per violentiam in obedientiam cogere, ut pulchrè declarat D. Basilius homil. 10. in hexameron.

5. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium & linguam, & oculos, & aures & cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus impleuit illos.

Primam partem; creauit ex ipso adiutorium simile sibi; Græca non habent. Addidisse eam videtur interpres quod in sequentibus plurāliter loquendum esset, cūm haec tenus de homine singulariter sit locutus, sub nomine scilicet Adæ. Præmittit ergo, ex ipso Adam, hoc est, ex costa eius Deum creasse, hoc est, formasse adiutorium simile ipsi, Euam scilicet, quæ in adiutorium generandæ & alendæ proli, & reliquorum domesticorum operum data est viro. Istis ergo simul creatis, & in ipsis, omnibus hominibus præ alijs animalibus, peculiariter dedit Deus consilium, linguam, oculos, aures & cor excogitandi, hoc est, cor ad cogitandum. Nominis consilij, significatur ratio vim iudicandi & consultandi habens de agendis. Nominis linguæ, sermonis potestas significatur, per quem mentis sensa & consilia distinctis vocibus exprimere soli homini datum

datum est. Nomine oculorum & aurium, omnes sensus significat, quod inter omnes hi sint praeципui sensus, qui in hominibus longe sunt excellentiores, & ad plura se extendunt, quam in alijs animalibus. Aut duos illos sensus nominat, quod ab illis maximè rerū intelligentia & cognitio pendeat, unde mox subditur de corde ad cogitadum dato, & additur; & disciplina intelligentiae repleuit illos. Quod etsi maximè verum fuerit in homine integro, tamen etiam competit homini lapsi, qui per lumen naturale multarum rerum intelligentia praeditus fuit. Idem alijs verbis repetitur in nostra versione.

6 Creauit in illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum,
& mala & bona ostendit eis.

Quantum ad omnes homines, creauit Deus in illis scientiam mentis & spiritus, quia per infusum lumen naturale, dedit eis cognitionem prudenter disponedi temporalia, & per impressam menti eorum legem naturalem, agnoscendi quid malum & quid bonum esset. Item quod bona manerent eos qui bene viuerent, mala eos qui male. Quantum vero ad electos in hominibus, dedit hoc eis Deus per lumen gratiae longe perfectius, ut cœlestia & spiritualia bona agnoscerent, & sensu, hoc est, prudenter implerent corda illorum.

7 Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent:
& gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrant operum eius.

Perperam hic multi legunt, oculum ipsorum, vel oculos ipsorum, nam legendum esse, oculum suum, quomodo etiam multi libri habent, ut ad Deum referatur, patet ex Græcis, quæ habent, τὸν διαλογὸν τὸν, hoc est, oculum suum. Ponit autem oculum suum super cor hominum, quando Deus suo spiritu & suæ gratiae fulgore cor hominum illuminat, & ad cognoscendum oportuna dirigit. Quomodo & in Psalmis dicitur ex persona Dei secundum communem intelligentiam: Intellexum tibi dabo, Psalm. 31.
& instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Quod ergo hic dicitur, potissimum de electis est intelligendum, quibus dedit Deus peculiariter agnoscere magnifica eius opera, & quæ ad creationem pertinent, & quæ ad suorum salutem diueris temporibus operatus est, maximè vero in eductione populi Israëlitici ex Ægypto, in qua mirabilia pro illius populi salute designauit. Ad quæ hic authorem respexisse sequentia indicant, in quibus subiicitur de addita lege. Dicit ergo Deum posuisse oculum suum instar magistri alicuius super corda illorum, ad hoc ut ostenderet eis magnalia, hoc est, magnificentias & claritatem operum suorum, sicque eis intellectis collaudarent nomen sanctificationis, hoc est, nomen eius sanctum, & suos sanctificans. Item ad hoc ut sui gloriarentur in mirabilibus illius quæ pro eorum salute

O opera-

CORN. IANSENII COMMENTARIA

operatus est, sicque alijs cum gaudio & lætitia enarrarent magnifica opera eius.

8 Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit eos.

9 Testamentum æternum constituit cum illis, & iudicia sua ostendit eis.

Hæc omnino de lege veteri dicta videntur, quam additam dicit, siue quia superaddita fuit legi naturali, siue quia data Israëlitis post mirabilia illa quæ in illorum eductione sunt designata. Hanc legem vocat disciplinam, quia scientiam agendorū præstat. Vocat legem vitæ, quod vitam promittit, & præstat obseruatoribus suis. Hanc velut in hæreditatem acceperunt, quia in perpetuum duraturam, non solum ratione moralium præceptorum, sed etiam ratione cæteromialium: quæ etsi ad literam iam non seruantur, secundum spiritualem tamen intelligentiam semper seruabuntur. Per testamentum cum illis constitutum, patet significatur Dei cum Israëlitis initum, quod æternum rectè dicitur, quia etsi mutatum sit & antiquatum secundum ea quæ ad literam significantur in lege, manet tamen secundum ea quæ secundum spiritum in illo pæsto continentur. Hoc Dei singulare beneficium populo Israëlico impensum celebrat aliquoties Dauid, dicens: Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israël voluntates suas. & : Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Additur & de beneficijs populo illi in datione præstitis, cùm subditur:

19 Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum.

21 Et dixit illis: Attendite ab omni iniquo, & mandauit illis unicuique de proximo suo.

Honorem interpres posuit pro gloria & claritate, quam scilicet in datione legis Israëlitæ & oculis viderunt, & auribus percepérunt. Viderunt enim Deum magnificè apparentem in igne cum tonitruo & fulgure. Et audierunt eum sua voce ex igne loquentem, & decem præcepta promulgantem. Quæ paucis Sapiens comprehendit. Primum quidem dicens Deum dixisse, Attendite ab omni iniquo, quia omnia penè legis præcepta sunt negatiua, tantum vetantia malum, sicut imperfectis illis conueniebat. Deinde peculiariter mandatum dicit unicuique de proximo suo, quia maior eorum præceptorum pars complectitur ea quæ proximos concernunt, vt scilicet non faciamus eis quæ ab eis nollemus nobis fieri. Hoc est enim quod dicit, unicuique Deum mandasse de proximo, ipsum præcepisse quomodo se erga proximum gerere debeat.

22 Vix eorum coram illo sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius.

Sicut

Sicut peculiariter eis Deus legem dedit, ita peculiariter ratione eorum vias & actiones obseruat, num secundum ipsius legem sint institutae. Non enim sic eis legem dedit, vt deinde eos pro suo arbitratu viuere fineret, nec cur ei esset seruarent an non, sed magis quam aliarum gentium obseruat eorum mores & vitam, excellentius eos premio affecturus si recte viuant: grauius eos puniturus & citius, si male & contra legem viuant. Nam alias gentes permisit vnamquamque ingredi vias suas, & veluti ad se non ita pertinerent, pro suo arbitratu viuere. Vnde & sequitur:

13 In vnamquamque gentem præposuit rectorē, & pars Dei Israel facta est manifesta.

Indicat hæc sententia cur peculiariter de Israële dictum sit, quod eorum viæ sunt coram Deo, videlicet quia Deus qui omnium Dominus est, alias omnes gentes tradiderit gubernandas suis principibus & regibus quos eis præfecit: populum vero Israëlitum sic sibi assumpsit peculiariter in suam partem & portionem, vt in illo ipse regnaret solus. Vnde dicitur in Deuteronomio. Te elegit Dominus ut sis ei populus pecu- Deuter. 7. liaris de cunctis populis qui sunt super terram. Et in Isaia dicit Dominus: Hæreditas mea Israël. Et in cantico Moysis: Pars Domini populus Isaie 19. eius, Jacob funiculus hæreditatis eius. Itaque quoniam Deus peculiariter sibi eius populi regimen & gubernationem vendicaret, Samuel ait ad eos: Grande malum fecistis vobis, petentes super vos regem, 1. Reg. 12. cum Dominus Deus vester regnaret super vos. Patet ex hac explicatione, nomen, Israhel, esse in secundo membro nominatiui casus, & orationem sic ordinandam; & Israhel, hoc est, populus Israëliticus est manifesta pars Dei facta. Clarius fuisse sensus si dictum fuisset, factus est. Adduntur & hic & alibi in hoc capite aliquot sententiæ in aëditione Complutensi, sed quas non habet Germanicū exemplar, quod simpliciores habet ferè & breuiores sententias, cum quo nostra versio frequenter magis conuenit. Patet item impertinens esse proposito auctoris, quod quidam priori huius sententiæ parte intelligunt significari v-nicique genti angelum aliquem præpositum esse custodem & rectorem, cum de regibus magis sit sermo, qui reliquis gentibus non sine Dei ordinatione fuerunt præfecti, quibus permisit illis leges quas vellet præscribere, nulla à se illis lege aut vitæ ratione palam proposita.

14 Et omnia opera eorū velut sol in conspectu Dei, & oculi eius sine intermissione inspicientes in vijs eorum.

CRediderim interpreté dictiōnē, manifesta, quam nos legimus in præcedenti versu, addidisse huic sententiæ, & vertisse; Manifesta omnia opera eorū velut sol, hoc est, tā patet Deo quām omnibus patet sol. Idem dicit quod supra, vt intelligatur Deus peculiarē habere rationē eorum quę suus populus vel benè vel male agit, nec ita dissimulare ad eorū facta,

CORN. IANSENII COMMENTARIA

sicut videtur aliarum gentium opera parum curare. Quod in genere dixit de operibus populi Dei, speciatim explicat primum de malis operibus, postea de bonis. Valde enim inculcatum esse conuenit, Deum operum sui populi habere curam & diligentem respectum. Itaque de malis dicit:

15 Non sunt absconsa testamenta super iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.

Rom. 3. **Q** Vidam libri habent, propter iniquitatem: alij, per iniquitatem. Et intelligitur Dei pacta cum hominibus non esse abrogata & sublata propter vel per iniquitates hominum, iuxta illud Pauli: Nunquid infidelitas hominum fidem Dei euacuauit? Græca tantum habent: Non sunt absconditæ iniustitiae illorum ab ipso. Cui sententiæ magis conuenit quod quidam libri nostri habent, super iniquitatem illorum, ut hic sit sensus: Dei testamenta, hoc est, leges, dispositiones & ordinationes, quas testatus est eis, non sunt absconsæ super iniquitates illorum, hoc est, non dissimulant ad eorum peccata, sed vigilant super ea, & illa obseruant, ut secundum illas peccata puniantur. Aut manifesta sunt varia testimonia, quibus Deus testatum frequenter fecit se iniquitates illorum obseruare, dum tam grauiter ea sæpe vltus est. Talis enim aliquis sensus conuenit proposito authoris, qui quod de malis dixit, idem & de bonis operibus subiungit, inter quæ præcipuum locum quendam obtinet eleemosyna.

16 Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.

Rom. 4. **E**re omnes habent corruptè, sacculus, cùm legendum sit, signaculum, quomodo quædam habent scripta, quomodo & Rabanus legit, & Augustinus in speculo. Est enim Græcè σφάγιον, dictio, qua & Paulus usus est, cùm signum circumcisionis dicit esse signaculum iustitiae fidei. Significat enim σφάγιον idem quod sigillum vel signaculum quo literæ aut aliæ res obsignantur, & clausæ custodiuntur. Quoniam ergo quæ custodire diligenter volumus, ea figillo obsignamus, quemadmodū Darius Daniel. 6. ostium fossæ eius in quam coniectus fuit Daniel, annulo suo signauit, & Matth. 27 Iudæi Christi sepulchrum obsignauerūt, ideo eleemosynam hominis dicit esse apud Deum velut sigillum, significare volens Deum fidelem memoriam conseruare eorum beneficiorum quæ in hac vita in indigentes conferuntur, eaq; esse apud se veluti res sigillatas aut figilla ipsa, quæ fideliter & diligenter custodiuntur ne pereant. Ita enim etiam Deus etsi non statim remuneret pietatis opera, tamen apud se veluti custodit, non sinens ea effluere suę memoriae, ut illa suo tempore proferat & remuneret. Hunc sensum cùm non inteligerent quidam, mutauerunt, signaculum, in sacculum, ut congrueret hic locus cum illo Saluatoris: Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.

Itaque

Itaque intelligunt hic eleemosynam comparari sacculo, quod per eam homo sibi comparet vnde suo tempore reficiatur, & habeat veluti in sacculo pecuniam, vnde necessaria sibi acquirat. Veram lectionem etiam secunda sententiae pars, alia explicat similitudine; Et gratiam hominis quasi pupillam conseruabit. Vbi suppositum verbi, conseruabit, non est, eleemosyna, ut aliqui male intelligunt, sed Deus, ad quem refertur relatiuum, ipso. Et est sensus: Et Deus, coram quo est eleemosyna, tamquam signaculum, conseruabit apud se gratiam hominis, hoc est, beneficium quod homo homini impedit, tanquam pupillam, hoc est, diligentissime, & tanquam rem sibi summe charam, quomodo homo pupillam oculi charissimam habet, & diligentissime custodit. Sic & supra cap. 3. dictum est de eleemosyna; Deus qui reddit gratiam meminit in postrum, &c.

17 Et postea resurget, & retribuet illis retributionem vnicuique in caput ipsorum, & conuertet in inferiores partes terræ.

Deus, inquit, qui iam apud se cōseruat opera pietatis & misericordiæ, et si ea non statim remuneret, sed dissimulare videatur, postea tame suō tempore resurget ad iudicandum omnes, & in lucem proferendum quæ apud se asseruata habet, iuxta illud; Surge Deus, iudica terram. Et psalm. 81. tunc retribuet hominibus mercedem quam meruerunt, ita vt vnuquisque suam ipse capiat & reportet portionem. Quod additur; & conuertet in inferiores partes terræ; vbi aliqui corrupti, ut puto, legunt, conteret, Græca nulla habent, ut ex collatione de veriori lectione & sensu iudicari non possit. Cūm autem varie ea pars à quibusdam explicitetur, videtur proposito conuenientissimus fore sensus, si intelligatur Deū cūm ad iudicandum surrexerit, cōuersurum eleemosynam, vel retributionem quam vnicuique retribuet, in inferiores partes terræ, hoc est, in mortuos, quia scilicet efficit ut ad eos perueniat, dum eos resuscitabit, & resuscitatis dabit quod meruerūt. Aut conuertet se in inferiores partes terræ, quia usque ad mortuos eius virtus perueniet, resuscitans eos. Per inferiores enim partes terræ, secundūm phrasim veteris testamenti, non damnati solum, sed generaliter mortui designantur, ut & postea cap. 24. sapiē. 14. Sapientia dicit: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Cūm autem Deus non tantum in nouissimo generali iudicij die surgit ad retribuendum mercedem, sed etiam in cuiusque hominis nouissimo die, etiam tunc intelligendum est Deum conuertere eleemosynam hominis in inferiores partes terræ: atque ob id non male hic locus adduci potest ad probandum, eleemosynam post mortem prodesse homini etiam ad pœnam eius, qua purgandus est, tollendam vel leniendam.

18 Pœnitentibus autem dedit viam iustitiae, & confirmauit deficienes sustinere, & destinauit eis sortem veritatis.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

NE, quoniam dixit Deū omnia hominū opera obseruare, & quandoq;
redditurum vnicuique secundūm opera ipsorum, desperent de Dei
gratia obtainenda qui in peccatum prolapſi sunt, ſubijcit de fructu & ef-
ficacia pœnitentiæ, atque ad eandem deinde hortatur. Hæc, inquit, quæ
dixi etſi vera ſint, tamen Deus non præclusit pœnitentibus de peccatis
ſuis viam iuſtitiae obtainendæ, ſed dedit illis viam & rationem obtinēdi
iuſtitiam, deditq; eis ut quam reliquerunt viam iuſtitiae, rurſum ample-
eti poſſint. Pro quo Græcis eſt, ἵδωκε πιστός, dedit eis reditum, ad ſe
ſcilicet & ad iuſtitiam quam reliquerunt. Nec ſolū illis dedit viam
iuſtitiae, ſed etiam eos qui in ſuſtinendo deficiunt, hoc eſt, qui nō ſpe di-
uinorum bonorum perſiſtunt perſeuerāter in bono, ſed per infirmitatem
humanam excidunt à recta virtutis via, ipſemet conſirmauit, partim per
ſcripturas ſacras aut prædicantium ora, partim per internam fuam inſpi-
rationem, erigendo illos ſpe veniæ, & ſua gratia eorum menti robur, in-
fundendo. Eos item qui per ſe deficerent in tolerandis aduersis, & per-
ſeueranter expeſtandis bonis cœleſtibus, ipſe ita conſirmat ſua gratia,
ut non deficiant. Alleuat enim Dominus, inquit Paſtora, omnes qui
corruunt, & erigit omnes eliſos. Pro conſirmauit, vel, ut aliqui libri ha-
bent, corroborauit, Græcè eſt παρενθέτη, quod eſt aduocauit, vel roga-
uit aut conſolatus eſt & hortatus. Hæc enim ſignificat illud verbū, non
autem conſirmare, quanquam res eodem redeat. Et veriſimile eſt inter-
pretem vertiſſe, cōrogauit, quia ſic in quibusdam libris inuenitur, & cum
id non intelligeretur, mutatum eſſe in, corroborauit, & hoc in, conſir-
mauit. Hortatur autē Dominus per prædicatores ſuos, imo & obſecrat
homines ad pœnitentiā & conſtatiam. Vnde Paulus eodem verbo uſus,
a. Cor. 5. Obſecramus, inquit, pro Christo, reconciliamini Deo. & : Pro Christo
legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Quod addidit
interpres; Et destinauit eis ſortem veritatis. (nam id Græca non habet)
ſignificat Deum deputaſſe pœnitentibus non eam partē quam priuſ me-
ruerant, ſortem ſcilicet iniuictati debitam, ſed ſortem veritati & iuſti-
tiae destinatam. His ergo præmissis, recte ſubijcit adhortationem ad pœ-
nitentiam, dicens :

19 Conuertere ad Dominū, & relinque peccata tua : precare ante
faciem eius, & minue offendicula.

EXemplar Complutense habet coniunctionem illatuum; Conuertere
igitur ad Dominum. Duas autē partes pœnitentiæ eſſe indicat, quæ
ſeparari non debeant. Nam verè pœnitentē oportet conuerti ad Domi-
num à quo auersus fuit, & ut id recte fiat, relinquere debet peccata ſua.
Quomodo autem hæc fieri debeant, altera pars inſinuat. Conuerti enim
debet peccator ad Dominum, ſic ut preceetur ante faciem eius, orans &
pro admifſorū venia, & pro auxilio gratiæ eius, ſine qua nec malum re-
linquere, nec bonum amplecti & retinere valet. Relinquere peccata ſic
debet, ut ſi non omnino ab omni peccato liber eſſe poſſit, tamē minuat
offen-

offendicula, hoc est, quæ Deum offendunt, aut quæ occasionem scandali & peccati præbent. Ea enim quisque tum propter se, tum propter alios quantum potest minuere debet & tollere. Idem alijs verbis inculcatur, cùm subditur:

20 Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia, & nimis odio execrationem.

NImis pro valde positum est, vt aliás sæpe. Ad verā auersionē ab iniustitia nō sufficit facto illā relinquere, sed & animo ab ea alienari. vnde rectè additū est; valde odito quicquid Deus execratur & abominatur.

21 Et cognosce iusticias & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis & orationis altissimi Dei.

HÆc sententia etiā iam in Græcis non habeatur, fieri tamen potest quod eam interpres legerit in Græcis codicibus, sicut & nūc Græca quasdam habent quas interpres non legit. Certè conuenienti ordine superioribus addita est ad absoluendū veræ pœnitentiæ cōditiones. Nam præter dicta ad perfectam pœnitentiā requiritur, vt cùm quis ad Deum cōuersus est, & peccata relinquere incipit, inquirat & p̄æ oculis semper habeat iustissima Dei mandata, quorum obseruationem Deus requirit: Tū vt in cœpta virtutis via persistat & perseueret, vnde dicitur: Et sta in sorte propositionis, hoc est, in ea cōditione quā tibi Deus proposuit, & ad quam te vocauit, aut quā tuo tibi proposito delegisti. Quæ eadem cōditio & fors exigit assiduā deprecationē Dei, sine cuius auxilio hæc omnia fieri nō possunt. His tamē omnibus adhuc addi debet quod sequitur.

22 In partes vade sæculi sancti, cum viuis & dantibus confessio-
nem Deo.

SÆculum sanctum, est sæculum illud de quo Isaias loquitur, cùm dicit *Isaias 9.* Christum patrē futuri sæculi: fœlix scilicet status fututæ vitæ, in quo omnis peccati immunditia aberit, per quam istud præsens sæculū, rectè pollutum sæculum dici potest. In sæculo autē illo sancto est perpetua confessio laudis Dei, gratiarum actio, & prædicatio Dei, angelis clamantibus: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, &c. Monet ergo Sapiens, vt pœnitens iam per prædicta Dei misericordiam & gratiā consecutus, in partes & conditionē vadat sæculi sancti, vt scilicet quod illi sæculo propriū est & familiare, etiam ipse hic incipiat, laudando scilicet Deum, & illi gratias agendo pro accepta peccatorum remissione, & alia quoque eius opera & beneficia prædicando cum his, qui adhuc hic superstites existentes dant Deo confessionē laudis, hoc est, laudant Deum & prædicant. Hunc esse genuinum loci huius sensum, sequentia indicant.

23 Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere.
A mortuo quasi nihil perit confessio.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

HÆc propriè non dicútur de confessione peccati, sed de confessione laudis, vt satis patet ex sententia sequenti, & simili loco qui est in cantico Ezechiæ, ad quem hic omnino allusum videtur: Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. Viuens viués ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, pater filijs notam faciet veritatem tuam. Sic & Dauid dicit: Non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? & : Noni mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Quibus locis ad literam non agitur tantum de damnatis, nec tamen negatur confessio & laus Dei in sanctis post mortem, sed tantum dicitur mortuos Deum hic apud viuos nō deprædicare, nec eos sua confessione viuos ædificare posse. Sic enim soli hic viuëtes alios viuentes ædificant, & ad laudē ac reuerentia Dei prouocant. Quod qui hic viuentes modò non faciunt, nec postea eis facere dabatur, quādo verè etiam non erūt inter viuos, vt nemo putet se post mortē posse incipere laudem Dei. Itaque rectè monet Sapiens, vt etiamsi quis aliquādiu hæsit aut detentus fuit in errore impiorum, eo inquam errore, quo quis virtutibus neglectis vitia sectatur, non demoretur in illo diutius, vt ante mortem veniam suorum peccatorum consecutus Deum laudet, eiq; gratias agat, & beneficia eius alijs prædicet, quod dignè facere non potest peccator, quem non pœnitit suorum peccatorum. Nec est quod confessionem Dei sibi putet quis differendam in tempus futurū post mortem, quia ab eo qui mortuus est huic mundo, tanquam qui omnino non est in mundo, nec cum eo commercium habet, perit confessio Dei qua illum apud viuos prædicaret, & qua sibi meritum apud Deum comparare posset. Perit item omnino ab eo sic, vt si hic eam non inceperit, sed se ad eam ineptum reddiderit, & Deum potius vita aut lingua blasphemauerit, eā ibi incipere non possit, vt qui nec tunc inter viuos reperiatur. His ergo locis agitur de confessione Dei, quæ viuis sit ædificatoria, & confitentibus sit meritoria. Cùm autem eadem sit ratio de confessione peccatorum, nempe quòd & ipsa tantum ante mortem sit meritoria, idq; in his tantum qui non persistunt in veteri errore, non mirum si per accommodationem hæc à quibusdam etiam tribuantur confessioni peccatorum, maximè cùm in superioribus de agenda pœnitentia sermo sit habitus. Itaque etiam Augustinus hunc locū citat aliquoties de confessione peccati, vt sermone octauo de verbis Domini, & alijs locis, quibus semper legit; A mortuo quasi qui non sit, perit confessio. Cæterū notwithstanding quosdam libros non habere illam partem; Ante mortem confitere; sicut nec Graeca habent, includitur tamen satis in parte sequenti; A mortuo quasi nihil perit confessio; quam Graeca habent clarius: A mortuo tanquam nō existente (aut eo qui non est) perit confessio, proinde similiter nostra lectio est accipienda, vt subaudiatur participium, A mortuo quasi existente nihil, apud viuos scilicet quoad conuersationem huius mundi, perit confessio Dei. Vnde sequitur:

Conf.

Isaie 38.

Psalm. 6.
Psal. 113.

24 Confiteberis viuens , viuus & sanus confiteberis ; & laudabis Deum , & gloriaberis in miserationibus eius.

EX secunda parte hic constat de quali confessione hic sit sermo , nemo de confessione Dei , qua peccator Dei adeptus gratiam prædicat eius misericordiam . Dum autem docetur hanc misericordiam Dei in ista vita prædicandam esse , satis etiam innuitur illam ab his qui extra Dei gratiam hinc decedunt , non posse post hanc vitam obtineri , vt tunc illam incipere possint prædicare & laudare . Porrò futura indicatiui modi in hac sententia phrasí Hebraica posita sunt pro imperatiuis , confitere , lauda & gloriare . Dicit ; viuus & sanus confiteberis ; hoc est , quando per vitam licet , & per valetudinem libet . Complutense exemplar habet , *γενητικός διά* , hoc est , sanus corde . Quod aliqui intelligunt de sanitate animæ , à vitijs , quæ morbi sunt spirituales , purgatæ , vt significetur eum qui viuit corpore , animo tamen languet , non esse idoneum ad confitendum & laudandum Deum .

25 Quàm magna misericordia Domini , & propitiatio illius conuertentibus ad se !

Quo ad pœnitentiam magis suos Sapiens inuitaret , in sequentibus prosequitur prædicationem misericordiæ diuinæ , eius magnitudinem extollens , & causam indicans cur illa hominibus tam sit exposita , & tam facilis . Primum ergo exclamando præ admiratione bonitatis diuinæ , asserit magnam esse misericordiam Dei , eiusque propitiationem , sed erga eos qui conuertuntur ad se , pro ad ipsum . Id dum exclamando & admirando effert , significat se eius magnitudinem non posse verbis satis explicare .

26 Non enim omnia possunt esse in hominibus , quoniam non est immortalis filius hominis , & in vanitate malitiæ placuerunt .

Indicat hæc ratio imbecillitatem humanæ naturæ , eiusque ad vitia ex sua nativitate proclivitatem , causam esse cur erga homines tam sit Deus ad miserendum propensus , vt huius consideratione minus desperet peccator , sed spe veniæ citius ad pœnitentiæ remedium confugiat . Simile habet Psalmista , dicens : *Quomodo miseretur pater filiorum , misertus est Dominus timentibus se , quoniam ipse cognovit figmentum nostrum . Recordatus est quoniam puluis sumus , homo sicut fœnum dies eius , &c. Dicit ergo ; Merito Deus propitius est hominibus pœnitentibus , nō enim omnia possunt esse in hominibus (hominibus , enim legendum est , & non , vt quidam legunt , omnibus) hoc est , homines non possunt in hac mortali vita habere summam perfectionem , sed pro suæ naturæ fragilitate necesse est eos aliquando labi & cadere , non possunt esse sine defectu , nec possunt in eis esse omnia quæ iure inesse deberent , quæque ab eis desiderantur : quoniam qui ex homine mortali*

O v natus

Psal. 102.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

natus est, non est immortalis, immutabilis, & à corruptione liber, sed eo ipso quo ex homine natus est morte secum trahit, & cū morte instabilitatem huius vitæ & corruptionem, atque ad vitia proclivitatem, & sic per vanitatē & naturæ instabilitatē, in qua homo nascitur, malitiaæ vitia & prauæ cōcupiscentię semper homini placuerūt ex se, quia sensus & cogitatio humani cordis semper prona sunt ad malum ab adolescētia sua.

Genes. 8.

27 Quid lucidius sole? & hic deficit. aut quid nequius quam quod excogitauit caro & sanguis? & hoc arguitur.

GRÆCA NŌ habent futurū, deficit, sed præsens *ικλείπει*, deficit, quemadmodum & scripta quædā & impressa habent, vt non ad defectum illum & mutationem quæ in fine mundi fiet, istud referendum sit, sed potius ad eclipsim, quam nobis sol nonnunquā patitur, & ab illo verbo nomen habet. Melius autē hic locus intelligetur si cōferatur cum similibus locis quæ sunt apud Iob, quorum vñus est cap. 15. Quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli nō sunt mundi in cōspectu eius. Quātō magis abominabilis & inutilis homo, qui bibt quasi aquam ini-

Iob 15.

Ibidē 25.

quitatem? Alter est cap. 25. Nūquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in cōspectu eius. Quātō magis homo putredo, & filius hominis vermis? Sicut ergo illis locis ad depressionem humanæ superbiæ, ex imperfectione cœlestiū creaturarū, quæ perfectissimæ inter omnes sunt, ostenditur imperfectio hominū: ita & hic hominis imperfectio cum sole cōparatur, non tantum ad confutationem humanæ præsumptionis, sed etiā ad consolationem humanæ infirmitatis, ne ob suam imperfectionem de Dei misericordia diffidat. Et est sensus; Inter omnes creature nihil est lucidius sole, & tamen etiā ipse in lumine deficit, siue cū occidit nobis, siue cū eclipsim patitur. Deficit itē & deficit, si conferatur cū luce & claritate Dei, in cuius cōspectu & comparatione luna non splendet, & stellæ non sunt in suo lumine omnino mundæ. Quantō minus de sua iustitia & puritate præsumere debet homo carnalis, qui ex carnalis sua corruptione nō cogitat nisi malū, quod in ipso meritò arguitur & reprehēditur? Notandum autem secundam partē huius sententiae duplē habere apud nos lectionē, quemadmodum & in Glosa Ordinaria notandū est. Nā quidā libri habent; Aut quid nequius quam quod excogitauit caro & sanguis? Alij, Aut quid nequius excogitauit caro & sanguis? Græca habet, οὐ τονισθεὶς εἰς μηδέποτε σάρξ ή ἀτμα. Et malū cogitabit caro & sanguis, hoc est, corruptio carnalis quæ est in homine, aut homo carnalis in quo dominatur caro & sanguis, ex se non cogitabit nisi malū. Græcis ergo magis accedit posterior lectio, quā ob id puto ve- riōrē, & sic intelligendā: Cū lucidissimus omniū sol nō sit sine defectu, quid caro & sanguis, hoc est, homo ex se plane fragilis cogitabit ne- quius, quam scilicet vt nolit agnoscere suū defectū, suam fragilitatem, & frequen-

frequentes lapsus, sed superbè se efferat quasi sole superior? Id sanè si fecerit, grauiter id ipsum arguetur & vindicabitur. Nā etiam scripta quedā habet futurū, excogitabit, vt habet Græca. Potest & hic esse sensus: Quid nequius, hoc est, quantū malū cogitabit caro & sanguis, vt cōparatiuus, nequius, accipiatur pro positio, sicut positiuū Græca habet, &c, quid, accipiatur admiratiuē. Aut certe sensus est: Quid nequius cogitabit caro & sanguis, quām scilicet assiduè cogitat? vt significetur corruptionē hominis omniū malorū causam esse, & pessima quæq; excogitare. Quia autē hæc lectio videbatur cōtinere falsitatē, aut incommodū habere lēnsum, nō est mirum eā mutatā à quibusdā qui addiderūt, quām quod. Nā id in quibusdā additū vidimus, cum prius tantū esset; quid nequius cogitabit caro & sanguis. Nec tamē satis verū est quod hac interrogatione significatur; Quid nequius quām quod excogitauit caro & sanguis? nā nequius est quod excogitauit dæmo: itē quod excogitat nō infirmitas carnis, sed mala volūtas hominis. Nisi intelligatur significari inter oēs defectus, qui in creatura visibili reperiūtur, nullū esse peiorē, quām quē caro & sanguis excogitat. Aeditio Complut. diuersam habet lēctionē, hoc modo: Καὶ ἀνὴρ ὁ εἰνθυμητὸς οὐ προσειπτεῖ, αἵ μα. Et vir qui cogitabit carnē & sanguinē, scilicet etiā deficiet. Pro, πονητός, enim legit ἀνὴρ ὁ, inter quę est magna similitudo. Sed altera lectio, quā secutus est noster interpres, præferēda videtur.

28 Virtutē altitudinis cœli ipse cōspicit, & oēs homines terra & cinis.

R Elatiuum, ipse, ferè ab omnibus ad Deū refertur, vt significetur Deū conspicere cœlestia omnia, eorūq; virtutē, sicut de eo dicitur: Altitu- Psalm. 94
dines montiū ipse cōspicit. At rectius referendū est ad solē: adhuc enim persistit in cōparatione hominis cū sole. Et de sole quidē ad eius excellentiā commendandā dicitur quod ipse cōspiciat, vel, vt est Græcē, κωνιστήρ, hoc est, inspiciat, visitet & perlustret, totā virtutē, hoc est, militiā & exercitū altitudinis cœli vel altissimi cœli, quia scilicet sol inter omnia astra velut imperator constitutus est, qui omnia astra suo lumine perfundit, suoq; motu assiduè visitat & percurrit. Vnde in Psalmis iuxta Hebraicam veritatē dicitur: Soli posuit Deus tabernaculū in ipsis cœlis. Psal. 18
De hominibus verò ad repressionē præsumptionis eorum dicitur quod omnes sint terra & cinis, quemadmodū & superius dixit: Quid superbit terra & cinis? Significat ergo, quod si sol, tātē excellentiæ creature, corā Deo non est sine defectu, nec de perfectione gloriari potest, multò minus homo, in illius cōparatione vilis admodum iuxta corpus creature. Aptē autē iā secundò hominē vocat terrā & cinerē. Terrā quidē ratione originis, quia ex terra sumptus est. Cinerē ratione finis, quia in cinerē per mortē conuertitur. Cū enim anima in homine sit velut ignis cōtinuē mouēs & motus, corpus anima destitutū veluti carbo est, qui in cinerem resolutur. Vnde impij dicunt in libro Sapientiæ: Fumus fatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër. Sapien. 2.
maile

CAPUT